ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: AENEAS SILVIUS PICCOLOMINI. IOHANNES GUALLENSIS. THOMAS SUBPRIOR OCART. HUMBERTUS DE ROMANIS ETC. TEXTE ZUR TÜRKENGEFAHR

Melk, Lambach, u.a., 3. Viertel 15. Jh. Seite 45r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=39405
Copyright: Melk, Benediktinerstift





imperare / Nec enim sunt hec puero claudenda
si modo librorum delectus fiat / ut dulces
et aperti / facundi / limatique sibi tradantur
ut supra de plerisque diximus / Quibus
adijci possunt Tusculane questiones Tullij
de senectute de amicicia / et quicquid est
illius de moribus scriptum. Utilis Seneca
recipiendus in epistolis plinius / et in
Consolacione boecius Nec negauerim absque
his quam plura doctorum virorum reperiri / volu
mina que tuto pueris exhiberi possint
Sed iudicium preceptoris exigo / ut limatos
tersosque norit / libros / et in auctoritate re
ceptos / Sed quoniam hec philosophie porcio
quam vocant / ethicam nullum humane
vite tempus dimittit intactum / Sed iuuenes
ipsa gubernat / viros et Senes / Quantum
puero tradenda / et quibus ex locis recipi
enda sit satis pro tempore credimus esse
monstratum / In ceteris libris sicut etates
ipse requisiuerint / Si longius fabricator
maximus orbis / et anime conditor deus
vitam produxerit / loquendum neruosius
erit / nisi post tot insignes quos tibi le
gendos diximus auctores tacere modestius
quam dicere quicquam amplius existimauerimus
Tu tamen interim quod tibi puero conducere
doctum est / Sic exercere ac discere stude
ut aliarum huius opusculi partium cupidis
simus videare / Vale. Explicit tractatus dni
Enee epi Tergestini post pij pape. propria manu
eius conscriptus ad diue memorie dnm Ladislaum
tunc infantem. hungarie ac Bohemie regem. ducem
Austrie et Stirie etc.